AD

EXAMINA ANNUA
GYMNASII REGII POSNANIENSIS

DIEBUS 27, 28, 29, 30 SEPTEMBRIS

INSTITUENDA

OMNES RERUM SCHOLASTICARUM FAUTORES
ET CULTORES

OBSERVANTISSIME INVITANT

[redacted] *FR. JACOB*

DIRECTORES.

ANNALIBUS SCHOLAE PRAEMITTITUR SPECIMEN, QUO
M. MANILII ASTRONOMICÔN
NOVAM RECENSIONEM INDICIT *FRID. JACOB.*

POSNANIAE 1830.
FORMIS W. DECKERI ET SOCIETATIS.

Quum is, ad quem Programmatis hoc anno conscribendi vices pervenerant, nondum sua praelo parata haberet, Marci Manilii, cuius Astronomicon libros iam dudum molior, specimen aliquod proponere constitui. Quo quidem opere quid praestiturus sim, paucis significabo. 1) Inquisitionem de nomine, aetate, patria, dicendi ratione eius, qui istud opus conscripsit. 2) Disputationem de antiquorum astronomia, qua doctrinae operis difficilliores ordine et serie explicabuntur; figurae astrologicae accurate descriptae addentur. 3) Poëma cum VV. LL. Codd. Cassinensis, Gemblacensis, Lipsiensis, Parisiensis, Palatini, Oxoniensis, Veneti, Vossianorum. 4) Notas excerptas Jos. Scaligeri, J. Fayi, Fr. Gronovii, Huetii, Stoeberi, Adr. Heringa, Pingrei, integras Bentleii; nondum editas Jac. Susii, N. Heinsii, D'Orvilii, Burmanni, Jo. Schraderi; quibus meae accedent. Unum hic addam: Quae in usum praesentem fusius disputanda videbantur, contractius ex parte dicentur in editione ipsa.

Marci Manilii Astronomicon liber I.

Carmine divinas artis et conscia fati
Sidera, diversos hominum variantia casus,
(Caelestis rationis opus) deducere mundo
Aggredior, primusque novis Helicona movere
Cantibus et viridi nutantis vertice silvas,
Hospita sacra ferens nulli memorata priorum.
Hunc mihi tu, Caesar, patriae princepsque paterque,
Qui regis augustis parentem legibus orbem,
Concessumque patri mundum deus ipse mereris,
Das animum viresque facis ad tanta canenda;
Jam propiusque favet mundus scrutantibus ipsum,
Et cupit aethereos per carmina pandere sensus.
Hoc sub pace vacat tantum: iuvat ire per ipsum

V. L. *Nulla inscriptio in* G. Manilius poeta *m. rec.* Arati philosophi astronomicon (*m. s.* Marci Manilii) L. V. 1. M. Mallii EQVOM astronomicon divo oct. quirino aug. V. 2. (*l. III. principio* : M. Malii boeni astr.) Marci Malii Antiochi Poeni astr. etc. Vb. et VS. Marci Manilii Astr. O. Caii Manilii poetae illustris poetae astr. C.

vs 1. artes L. V. 1. vs. 4. monēr V. 2. vs. 5. mutantis. V. 2. vs. 7. Nunc R. princeps V. 1. paterque parensque V. 2. vs. 8. augusteis V. 2. vs. 10. canendum O. vs. 11. propiisque V. 1. propriisque V. 2. propriosque VS. vs. 12. rapit O. Pa. R. aetherios L. V. 1. pondere O. Pa. cenens S. vs. 13. vocat L. VV. O. altum Vt.

Aëra et immenso spatiantem vivere caelo,
Signaque et adversos stellarum noscere cursus.
Quod solum novisse parum est. impensius ipsa
Scire iuvat magni penitus praecordia mundi,
Quaeque regat generetque suis animalia signis,
Cernere, et in numerum Phoebo modulante referre.
Bina mihi positis lucent altaria flammis;
Ad duo templa precor, duplici circumdatus aestu,
Carminis et rerum; certa cum lege canentem
Mundus et immenso vatem circumstrepit orbe,
Vixque soluta suis immittit verba figuris.
Quem primum interius licuit cognoscere terris?
Munera caelestum. Quis enim, condentibus illis,
Clepsisset furto mundum, quo cuncta reguntur?
Quis foret humano conatus pectore tantum,
Invitis ut dis cuperet deus ipse videri?
Tu princeps auctorque sacri, Cyllenie, tanti;
Per te iam caelum interius, iam sidera nota
Sublimis aperire vias imumque sub orbem,
Et per inane suis parentia finibus astra,
Nominaque et cursus signorum, pondera, vires;
Maior uti facies mundi foret, et veneranda
Non species tantum, sed et ipsa potentia rerum,
Sentirentque deûm gentes qui maximus esset.
[Qui sua disposuit per tempora, cognita ut essent
Omnibus et mundi facies caelumque supernum.]

---

vs. 14. spatientem V. 2. vs. 17. magna O. vs. 18. Quaque 5 generatque V. 2. regeneretque O. vs. 19. modulame VV. vs. 20. poscis (*vel* postis) lucē V. 2. vs. 21. Ac V. 2. vs. 22. tum R. S. vs. 23. in menso L. VV. circumscribit V. 2. vs. 25. internis V. 1. in ternis V. 2. vs. 26. munere G. marg. cum dentibus V. 1. vs. 29. discuperet VV. vs. 30. autorque V. 2. vs. 31. in terris V. 2. vs. 32. unumque VV. Pa. O. sub orbe VV. vs. 34. pondere V. 1. pandere O. Momina S. vs. 37. quam *Omnes.* vss. 38. 39. *Omnes om.*

Adnotatio ad M. Manilii Astronomicon L. 1.

vs. 1. *Divinas artis* χατὰ τὸ προτελεστιχόν, qua notione Horat. *Imbrium divina avis imminentum.* SCAL. Rariore abundantiae exemplo idem Horat. genitivum adjungit A. P. 218. *divina futuri sententia.*

vs. 2. *Diversos casus variantia sidera.* Sidera, quae vitam texunt, laetos et tristes casus colorum instar miscentia, *variam* velut stragulam efficiunt.

vs. 3. *Deducere.* *Divinarum artium* memor, tum hic *caelestis rationis opus* legens, *deducere* frequentissima lanae filique ducendi translatione explicare poteris. Quo verbo proprie utuntur, quando quid ex arte et ratione disponitur, ut Hor. A. P. 129. *Rectius Iliacum carmen* deducis *in actus*; vel Ovid. Met. 1, 4. *Ad mea perpetuum* deducite *tempora carmen.* Manil. 1, 106. *Quae postquam in proprias* deduxit *singula causas*; et innumeris aliis. Sin *conscia fati sidera mundo deducere* copulas, *deorsum ducere* explicabis; de caelo in terras, veluti Orpheus e locis agrestibus in urbes carmine deduxit homines, vel philosophiam devocavit Socrates Simul vero *sidera de caelo deducta* magicam eius verbi vim ex communi omnium poetarum more retinere te iubebunt. Virg. Ecl. VIII. 68. Ducite *ab urbe domum*, mea carmina, ducite *Daphnin.* Carmina *vel* caelo *possunt* deducere *lunam.* Jam etiam *carmine* ita uteris, ut sint magicae formulae, vel carmen rhythmicum et rhombus, (Schol. Cruq. ad Horat. Epod. 17, 7.) de quo accuratissime Joh. Hen. Vossius exposuit ad allatum Virgilii locum inde a vs. 64. Quamquam legere quidem incipiens: *Carmine divinas artes*, de unis, puto, versibus cogitaveras. Eodemque in hoc rerum tenore *movere* revocabis in vs. sq.: *Primusque novis Helicona* movere *Cantibus.* Nam *movere* a leni profectum initio (sicuti *tangere*; quod item ad tactus satis acres augetur, quales Satyricorum sunt; et quid *tractim tangere* sit apud Plaut. Amphitr., audi Gronovium, Obss. L. II, c. 1. omnem magneticorum artem, antequam iterum inventa esset, docte explanantem) *moveri* igitur proprie vel divinae, vel arcanae et vetitae, vel omnes omnino difficillimae res dicuntur. Hinc saepe formidinis quidam sensus, si id verbum auditur, excitatur in nobis, uti apud Goethium: Sie *rühren* sich in ihren dunkeln Höhlen; et apud Graecos χινεῖν. Exempla. 1) De re divina et vetita Horat. habet Epod. 17, 3. *Per et Dianae non* movenda *numina.* Quod satis recte Schol. Cruq. *non violanda, non offendenda, ad iram non provocanda, non mentienda, non execranda* explicat. Qua synonymorum congerie ne forte deam ipsam ad iram commotam describi putemus, ultimo cavit et exactissimo: *execranda*, memor haud dubie Epod. XVI, ubi *Exsecrata civitas* quae sit, Interpretes exponunt. Neque tamen *movendo* semper *turbari* sacra, exemplis iam probat Gron. Obss. p. 99. ed. Lips, sed ἐνθουσιαζομένων verbum esse, pag. 142. 2) De ingenti ausu idem Horatius III, 20, 1. *Non vides quanto* moveas *periclo catulos leanae*, ubi Schol. Cruq. *coneris auferre.* Cui synon. Propert. III, [II] 12, [19] 21. *Non tamen ut vastos ausim temerare* [seu *tentare*] *leones*; et Grat. Cyneg. 3. *nuda silvas virtute* movebant; ubi cf. Burm. Reddendem hoc verbum Claudiano in Ruf. II, 227:

Alternamque fidem non illaudata lacessit
Seditio, talique simul clamore moventur

ubi N. Heinsius *queruntur* dedit. Neque minus crebro eam verbi notionem usurpavit Manilius, cuius quaedam exempla e libro primo attulisse sufficiat 1) In ingenti difficultate I, 51. *Hi tantum* movere *decus.* v. 76. *Immotusque novos pontus subduxerat orbes.* Noli *immotum* explicare: Nondum remis agitatum, sed ut apud Horat. vada dissociabilis oceani transiliuntur. 2) In rebus divinis et vetitis v. 93. *imumque Acheronta movere.* Accedit huic interpretationi altera, qua *movere*

ad astrorum vel musarum choreas transferre possis, dum ipse Musagetes deducat. In hac autem *Helicona* Musas interpretaberis, ut apud Nemes. Cyneg. v. 8. *ingentes* Helicon *iubet ire per agros*, quod recte explicat Burm. Sed iam, credo, vertigine quadam rotatum te sentis, dum miro profecto modo misceri omnes omnium verborum audis notiones. Sed similem figuram, quam amphilogiam nominabo, saepe etiam ingeniosi poëtae ob affectatam sententiarum crebritatem quaesiverunt, ut, dum per reliquam orationem aliquo sententiam convertunt, alius tamen cuiusdam notionis simul nos memores esse velint. Cuius moris exempla quaedam libabo. *Cinna* Epigr. in Burm. Anthol. T. 1, p. 441. *Haec tibi Arataeis multum invigilata lucernis* Carmina, *quis ignes* movimus aëreos *Vexi.* Manil. 1, 6. *Hospita sacra ferens, nulli memorata priorum.* Ut illic lucernis invigilata carmina et motus caelestium ignium, ita hic sacrificia et carmina non negligentia quadam copulantur orationis, sed quia consulto quaeruntur argutiae. Medius inter utriusque poetae sententiam est Germanicus Arat. 3. *Te veneror, tibi* sacra fero, doctique laboris *Primitias.* Cinnae enim lucernae vel doctus labor cum Manilii *sacris ferendis* coniunguntur. Persius Prol.: *Ad* sacra *vatum carmen* affero *nostrum*; cf. Passow p. 223; ubi sacra vatum opera comparantur cum templo, et intelligitur utrumque simul. Propert. IV [III] 1, 1. *Callimachi manes et Coi* sacra *Philetae.* Hic et carmina et poetarum sanctitas comprehendenda; ut, obscurius tamen, Paldamus iam sensit p. 868. Is mos postea etiam in orationem prosam transiit, nec a quoquam frequentatur magis, quam a Tacito, cuius nunc unum exemplum profero saepe tentatum Agric. 6. *Ludos et inania honoris modo rationis et abundantiae* duxit. Ubi *duxit* et *putavit* et *rationem duxit* in se copulat. Nulla igitur causa est, quod *moderationis* corrigamus, ut novissime etiam W. Bötticher fecit in Lexico Taciteo. Hic autem Manilium immani quodam modo arguta ista figura abusum esse, incurrit in oculos, simulque eius ingenium edocet. In quo non ignoro, *movere* omnino ad curas transferri poetarum. Cuius translationis causa ea est, quia poetae *vates* sunt, *deoque pleni.* Quod iam vidit Casp. Barth. Aduers. p. 197, exemplis munivit Burm. ad Cinnae Epigr., quibus addo Stat. Silv. 1, 2.

Unde sacro *Latii sonuerunt* carmine *montes?*
Cui, Paean, nova plectra moves, *humeroque comanti*
Facundum suspendis ebur? procul ecce canoro
Demigrant Helicone *deae* etc.

Similis etiam oratio Virgilii Aen. VII, 641 *Pandite nunc Helicona deae, cantusque movete.* Atque sic etiam intelligit Fayus et Pingré, quorum hic: »Je serai le premier des Romains, qui ferai entendre sur l'Helicon ces nouveaux concerts«. Sed consulto interiorem sensum praefero; et quia reliqua verba nos eo deducunt, et quia omnino Manilii indoles non simplicissima quaeque, sed docta et recondita sectatur. Nam seriorum quidem didacticorum poetarum omnium is mos est, uti, dum in ipsa rerum doctrina verborum tenuitatem studiose quaerunt, initia et episodia summo ornatu efferant. In quo Lucretii exemplum sequi maluerunt, qui ornatu auctoritatem huic generi comparaturus vel propter materiae ieiunitatem vel propter ingenium minus saepe deficit, quam Virgilium. Quum autem plerique arte quam ingenio cultiores sint, ornatus ille modo ad dithyrambicum quendam furorem, modo ad aenigmatum subtilitatem aberrat; reliqua pars humi repit. Hinc apud Manilium et primi et ceterorum librorum initia et episodia explananda, et quo magis eorum natura patefiat, cum similium poetarum, velut Grat. et Nemesian. carminibus comparanda sunt. Unum adiungam Claudiani exemplum tanquam brevius, in quo similem luxuriam omnia lascive miscentem videbis Cos. Olybr. 1.

Sol, qui flammigeris mundum complexus habenis
Volvis inexhausto redeuntia secula motu,
Sparge diem meliore coma crinemque repexi
Blandius elato surgant temone iugales,
Efflantes roseum frenis spumantibus ignem.

vs. 5. *Et viridi.*) Omnes quidem codices *et* habent: reponendum tamen

AD *viridi nutantes vertice silvas*
Hospita sacra ferens.

Hoc pacto iunguntur apte, quae prius luxa erant et hiantia. Vidit hoc etiam Fred. Gronovius. [Obss. p. 63.] *Nutantes vertice.* ut Virgil. Aen. IX, 681.

Consurgunt geminae quercus, intonsaque caelo
Attollunt capita, et sublimi vertice nutant.

BENTL. Orationem diffluere, verum est; sed corrigendam nego. Nam Manilium mihi castigare videar, non librarios. Saepe enim in id vitium incidit, et quia impeditius loquitur et quia brevis esse nescit. Laxa autem oratio eo facta est, quod ad simplicem accusativum *Helicona*, qui inter reliquam orationem, prioribus leviter per *que* adiunctam, paene latet, longior oratio subsequens per *et* in arsi positum annexa et gravius incedit et nihil novi addit absolutae iam sententiae: aggredior *Helicona* novis *movere* cantibus, *et* viridi nutantes vertice *silvas.*

vs. 6. *hospita* Lipsiensis glossa explicat, *nova.* Non male; sunt enim peregre adventantia, novaque hospitia iunctura, quasi *hospitem futurum* dicas. Similiter Ovid. Fast. 1, 340. de navi peregrina thura primum advectante, quae opponuntur farri domestico, ut vidit Gierig.

Actae per aequoreas hospita *navis aquas.*

Quasi media inter hanc et vulgarem verbi notionem est apud Ovid. Met. I. 493, de Arethusa:

Nec sum pro patria supplex; huc hospita *veni.*
Pisa mihi patria est, et ab Elide ducimus ortum;
Sicaniam peregrina *colo.*

Similiter *mundus captivus* ap. Ovid. Met. I, 184 de mundo capiendo, non capto. Jo. Schraderus, cuius Schedae, subitaneas in Manilium animadversiones continentes, apud me asservantur, ad hunc versum adscribit: »offendit *sacra ferre — nulli dicta.* fort. *gestata, venerata, temerata*«. Sed si *sacra*, ut supra monui et exemplis firmavi, in carminum notionem declinare possumus, *ferre* non obstat. Horat. Epist. 1, 19, 44. *iuvat* immemorata ferentem *Ingenuis oculisque legi, manibusque teneri.* Clarius ad sententiam Manil. I, 113. *Hoc mihi surgit opus non ullis ante* sacratum *Carminibus.*

vs. 7. *Hunc mihi*) Scripti veteres *hunc*, recentiores *nunc.* Repono, quod concinnius est.

TV *mihi, tu, Caesar, patriae princepsque paterque.*

ut Virg. Aen. VI, 834.

Tuque *precor,* tu *parce, genus qui ducis Olympo.*

et Aen. VII, 41. Tu *vatem,* tu *diva mone.* et Aen. IX, 404.

Tu *dea,* tu *praesens nostro succurre labori.* BENTL.

vs. 10. *Das animum.*) Quum semel insedisset mendosum illud *hunc* in versu septimo, consequens erat, ut iidem hic ponerent *animum.* Atqui ab auctoris manu erat,

DAS ANIMOS, *viresque facis.*

ut Virg. Aen. II, 617. *Ipse pater Danais* animos *viresque secundas*
Sufficit.

et Aen. VII 383. *Dant* animos *plagae.*

Martialis VIII, 73.

Si dare vis nostrae vires animosque *Thaliae.*

Ovid. Amor. II, XVII, 7. *Dat facies* animos, et Metam. XII, 242 *Vina dabant* animos; et alibi passim. *Viresque facis:* ut Ovid. Met. IV, 527.

Occupant hunc (vires *insania* fecerat) *Ino.* BENTL.

Saepissime quidem poetae, si audaciam ac spiritum in aliquo parem esse aiunt viribus, *animos viresque* coniungunt; quod multis exemplis comprobavit Burm. ad Virg. Aen. X, 357: *Venti Proelia ceu tollunt* animis et viribus *aequis.* quamquam in hac ipsa iunctura *animum* interdum, non *animos* ponere videntur, velut Aen. IX, 764. *Juno* vires animumque *ministrat.* Nisi mavis animum interpretari animi voluntatem et inclinationem. Nam ea coniunctio non minus rara est. Georg. II, 285.

Non animum *modo uti pascat prospectus inanem,*
Sed quia non aliter vires *dabit omnibus aequas Terra.*

i. e. non animi causa recti arborum ordines instituuntur Aen. IX, 717.

Hic Mars armipotens animum viresque *Latinis*
Et stimulos acres sub pectore vertit.

Ubi *stimuli* ad audendum relati *animum* ad voluntatem referri admonent. Aen. V. 640. *Deus ipse faces* animumque *ministrat.* in *facibus* vires continentur. *animus* autem in isto quidem facto vix audacia sit, sed est cupiditas vel animi propensio. Similiter Plaut. Capt. II, 3, 25.

Id petam, id persequarque, corde atque animo et viribus

et Lucan. I, 66.

Tu satis ad vires *Romana in carmina* dandas.
Fert animus *causas tantarum expromere rerum.*

Dixisse Latinos non solum *animos* dare, sed *animum*, exempla subministrat Gesn. Thes. Superest ergo, ut demonstretur, nostro in loco poetam non *animos* sibi a Caesare auctos dixisse, sed *animum.* Id vero sequentium expositio comprobat. Postquam enim propter praesens Augusti in terris numen *vires* crevisse docuit vs. 11, deinde vs. 13. unas res caelestes, quae nunc quidem canantur, superesse affirmat, propter orbem terrarum pace compositum. Ergo studium ac voluntatem illuc vocari monet, non animos additos. Jam vero ut *hunc* quoque reddamus, consequitur; Quum enim audacia una sit, nec descriptionem flagitet, variae autem sint animi inclinationes, has iam per *hunc* animum accuratius definire debebimus. Hemst. apud Koppiers Obss. philol. p. 134. *Huc — animos* conicit.

vs. 11. *Jam propiusque.*) Illud *que* loco venit non suo. Repono

JAMQVE *favet mundus* PROPIUS *scrutantibus ipsum.*

et ordine et sententia meliore. Non enim *propius favet* connectenda sunt, sed *propius scrutantibus*, ut Noster alibi *propius rimari, propius adspectare*, 1, 735.

Dum nova rimatur propius *spectacula mundi.*

IV, 908. *victorque ad sidera mittit*
Sidereos oculos, propiusque adspectat *Olympum.*

BENTL. *Jamque favet* etiam Francium dedisse, ex Burmanni schedis video. Improbat D'Orville ad Charit. p. 364. Lips. (Amst. 271) »ob ὁμοιοτέλευτον in tribus vocabulis sese tangentibus.« *Propius scrutantibus* i. e. propius scrutaturis non offendor. ita etiam apud Sulp. Sat. 14. *Quasque dedit quondam*, morientibus *eripit artes*, i. e. morituris. Sed non magis ego offendor frequentissima particulae *que* metathesi. Cuius non est, quod ex aliis scriptoribus exempla proferam; Manilium non fugisse, probabo. Sed fortasse Bentleius non omnino nobis metathesin eripere tentat, verum hanc quoque suam regulam sequi significat, neque posse unicuique verbo adiungi *que*, sed ei, in quo transpositionis eius aliqua insit excusatio; vel si magno accentu rhetorico augendum sit, velut I, 93. *In noctemque dies, in lucem vertere noctem*, ubi antithesis adiuvatur; vel si grammatica quaedam iunctura in causa sit, velut I, 873. *Signa per affectus caelique incendia mittit*; ubi coelique vincula copulat inter *affectum* et *incendia*, quod utrumque *caeli* est; et 239. *Sub pedibusque iacet*; quia *subque* non facile dicimus; vel si versus ratio flagitet, ut IV, 128. *In iugulumque dabit*. Itaque primum, quo tutius eamus, exempla Maniliana adponamus, deinde rationes addamus. II, 723. *Pluribus inque modis*. 885. *In peiusque manent*. IV, 364. *In pluresque modos*. 435. *In vanumque labor*. V, 394. *In caelumque ferens*. I, 701. *Per tresque triumphos*. V, 684. *Ad bellumque*. IV, 179. *Apparat, et spolio pecorum vivitque rapinis*. 683. *Fluctibus excepitque Jovem taurumque resolvit*. 727. *Jam propior tellusque natans*. Quibus exemplis ut alios audacia non aequat Manilius, ita insunt tamen, quae satis licenter conscripta videantur. Sed nostro loco *que* non suo loco venire, plane denego; cum omnis vis orationis in *propius* insit, idque ob hoc ipsum assumserit copulam. Nam ait suas a Caesare vires auctas eo, quod Augusto inter divos recepto *propius* iam coelum terris venerit. Si quidem mundus et sidera apud Manilium et alios dii, et dii sidera. Atque ita iam locum exposuit Barthius Adv. p. 16. Cui aliud accedit. Somniabant quippe homines et Augusti aevo et sub Neroniani imperii principio, post finitum siderum decursum auream illam aetatem, naturae dona largissima, perpetuam mortalium pacem, morum honestatem, denique beatissima reditura otia. Eiusque fidei pignus aliquod Jano clauso se accepisse rebantur. Ea igitur *pax* intelligenda, quum vs. sq. legimus: *Hoc sub pace vacat tantum*. Eo etiam plurimi poetarum loci revocandi sunt, quibus quando aureae adventantis aetatis mentio fit, nequaquam merae *felicitatis publicae* blanditiae intelligendae sunt, sed eius, quam dico, astronomicis rationibus subnixae fidei testimonia. Eo etiam referendi versiculi in Tiberium iactati apud Sueton. Tib. 59:

Aurea mutasti Saturni saecula, Caesar:
Incolumi nam te ferrea semper erunt.

Jam vero videndum, an verus Bentleius sit, quum dicat, non *propius favet* connectenda esse, sed *propius scrutantibus*. Quae difficilis quaestio ut solvi possit, quaerendum ante omnia, quomodo intellexerit Bentl. *propius*. Id enim potest esse aut *diligentius, accuratius*, aut *magis ex propinquo*. Utrumque recte defenditur; quae enim propius adsunt, ea diligentiorem inspectionem, praesentius auxilium damnumve vel admittunt vel efficiunt. Poëtae etiam Latini utroque modo utuntur. Aen. I, 526 *Parce pio generi, et* propius *res adspice nostras*, i. e. diligentius, antequam iudicium feras, res nostras inquire. Ibid. XII, 218. *Tum magis* (timuere,) *ut* propius cernunt *non viribus aequis*. i. e. accuratius, quia magis ex propinquo. Claudian. Cos. Mall. 95. *ut tandem* propius discas, *quo fine beatum Dirigitur*. Ubi *discere* iam plane ab oculis ad animum rem transtulit. Aen. VIII, 78. *Adsis o tantum et* propius *tua numina firmes*. i. e. diligentius et praesentius. XII, 408. *Saevus campis magis ac magis horror Crebrescit* propiusque *malum est*. i. e. praesentius. Nam si tantum magis

appropinquasse velit, torpeat *propius* post *horrorem* et *crebrescere*. Id autem hic voluisse Bentleium, verisimile facit vs. allatus I, 735. *Tum nova* rimatur propius *spectacula mundi.* Is enim versus, quum codices habeant *miratur propius*, ita a Bentl. refictus est. Qui quid sit, ait, propius mirari ab aliis discere velim. Atqui magis ex propinquo rem aliquam mirari, nemo est, qui dici posse neget; sed accuratius, diligentius mirari id sane absurdum. Ergo hic quoque diligentius scrutantibus caelum favere voluit. Quae interpretatio nimis generalis et ad omnia simul tempora apta quum peculiarem huius loci sensum nobis eripiat, abiicienda est. Unde sequitur, ut *propius* si addatur *scrutantibus*, tantum possit esse *magis ex propinquo.* Eam notionem exemplis e Tacito collectis probavit VValchius ad Agric. c. 16, p. 226. *Quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit: tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et* propius *ex legato timor agitabat.* Quamquam vix dubito, quin vere ibi Rhenanus correxerit, *et* proprius *ex legato timor*. Nam legati timor propius adventantis ad omnes pertinet. Sed arma tenebant tantum, quos conscientia agitabat et (i. e. et omnino) quos propriae timoris causae, (persönliche Gründe, cf. Bötticher Lex. Tac. sub v. *proprius.*) terrebant, si quidem ille *Paullinus suae quoque iniuriae ultor* exstitit. Ergo sic quidem Bentleii coniectura commodam sententiam nanciscimur: Jam mundus favet, quia magis ex propinquo scrutamur. Sed quid causae esse dicas, cur ad coniecturam descendatur, si Codd. lectio *propius favet* se optime tuetur, sive *magis ex propinquo* explices, sive, quod ego facio, *praesentius?* Eo enim nos vs. sq. ducit: *Et* cupit *aethereos sensus pandere* vel aperire. Saepe autem in animi affectu *propius.* Aen. VII, 557. *Propiusque periclo It timor,* i. e. magis medullas intrat. Ovid. Heroid. XVIII, 177. *Quo propius nunc es, flamma* propiore *calesco.* i. e. intentius uror. Lucan. VI, 505. *Et patitur* (Luna) *tantos cantu depressa labores, Donec suppositas* propior *despumat in herbas.* Cui omnis, quam Cortius exagitat, Battologia eximitur, si *propior* Luna intelligitur ad obedientiam propensior facta per artes magicas. Quinctilianus X. 1, 91. *Quem praesidentes deae studiis* propius *audirent? Cui magis suas artes aperiret familiare numen?* Qui locus Maniliano plane geminus est. Nam ut *propius audire* respondet nostro, *propius favere*, ita *cui magis artes aperiret numen* vs. sq. exprimit: *cupit sensus suos pandere caelum.* Etiam *appropinquare* non solum, quod spatio propius adest, sed quod natura intentius est, denotat. Tacit. Ann. XIII, 57. Ubi quum propter flumen sale gignendo secundum Hermunduri et Catti depugnant, *religione insita*, aiunt, *eos maxime locos* appropinquare *caelo*, *precesque a deis nusquam* propius audiri. *inde* indulgentia *numinum illo in amne salem provenire.* Ubi flumina, quum depressiora sint ripis, propiora tamen caelo dici, et *indulgentiam* ad explanandas orationis argutias consulto additam ipse vides. Ceterum scrutantibus *ipsum*, quod apud Manil., si voles, poteris scriptum dicere pro: scrutantibus eum, tamen explicare malim: scrutantibus caelum praesens: Ita saepe *ipse* de eo qui praesens adest; veluti vs. 13. *iuvat ire per* ipsum *Aëra et immenso spatiantem vivere caelo.* cf. Aen. Virg. VIII, 31.

vs. 12. *Et rapit aethereos*) Gemb. *Et cupit.* Ex quo docti fecerunt Et *rapit*, optime meo iudicio. SCAL. *sensus.* Omnino scribendum *census.* Ita semper loquitur, *inque ipsos mundi descendere census.* Et in secunda institutione: *hominis per sidera censum.* Saepe in hoc scriptore *sensus* et *census* mutatum. SCAL. Pro *rapit*, quae recentiorum codicum lectio est, veteres quatuor *cupit.* Atque id revocandum,

Et CVPIT *aethereos per carmina pandere census.*

Mundus *favet* se scrutantibus, et *cupit*, gaudet, se aperire. Noster II, 142.

Et gaudente *sui mundo* per carmina vatis.

BENTL. Quamquam a librariis *census* et *sensus* confunduntur, tamen hic *sensus* mihi eripi non patiar. Nam quum caelum Deus sit et *vivat*, quum divina ea natura nobis *faveat* et aperire se *cupiat*, nonne *sensus* ei melius tribuentur, quam *census?* sic vs. 17. *Scire iuvat magni penitus* praecordia *mundi*. Sic infra, ubi de odiis et inimicitiis, de visu et auditu siderum tractat, ubique *sensus* appellat. Seneca N. Q. 1. Praef. (Sapiens) *petit altum et in interiorem naturae* sinum *venit*. *Tunc iuvat inter sidera ipsa vagantem* etc.

vs. 13. *Hoc sub pace iuvat.*) Ita loquitur Germanicus, qui haec Maniliana interpretatur.

Quantum etenim possent anni certissima signa,
Qua sol ardentem Cancrum rapidissimus ambit,
Diversasque secat metas gelidi Capricorni,
Quave Aries et Libra aequant divortia lucis;
Si non parta quies, te praeside, puppibus aequor
Cultorique daret terras? procul arma silerent?
Nunc vacat audaces ad caelum tollere vultus,
Sideraque et varios caeli cognoscere motus.

Et post:

Haec ego dum laetis cogor praedicere Musis,
Pax tua tuque adsis, nato numenque secundes.

Nam Germanicus intelligit de templo Pacis ab Augusto consecrato. SCAL. *Vacat* Gemblacensis cum novitiis aliquot recte. Ceteri antiqui *vocat:* omnes sententiam ibi finiunt, puncto post *vacat* vel *vocat* posito. Et sane hoc *tantum* insulse hic repetitur; cum paulo ante habuerimus, *ad tanta canenda*. Lego et distinguo,

Hoc sub pace vacat. JAM NUNC *iuvat ire per* ALTVM.
Virg. Georg. I, 42. *Ingredere, et votis* iam nunc *adsuesce vocari*
Prop. II, 15. *Ipse ego venabor:* iam nunc *me sacra Dianae*
Suscipere et Veneri ponere vota iuvat.

Ceterum *altum* reponimus ex codice Veneto: ceteri enim *ipsum*. Sed *ipsum* paulo ante habuimus, et mox habebimus *ipsa*, utrumque in fine versiculi. Pythagoras apud Nasonem Met. XV, 147.

iuvat ire per alta
Astra; iuvat, terris et inerti sede relictis,
Nube vehi. BENTL.

Gloss. Lips. *ad hoc nos invitat sub pace tua.* *Jam nunc* proprie in exemplis Bentleii positum est: *iam nunc*; hic dictum esset pro *nunc iam*. Quam periculosa autem haec vitiorum suspicio sit, quae ex earundem vocum repetitione elicitur, ingenti exemplorum numero monstravit Jo. Schraderus in Animadv. ad Musaeum c. XIII. Neque cuiquam minus inde lites movendae quam Manilio, qui tantum abest, ut vitarit, ut interdum studiose hanc Lucretianae simplicitatis imitationem affectavisse videatur. Sufficiat ea de re Scaligeri apposuisse iudicium. Prolegg. p. 18. »Est et aliud non leve vitium in nostro; quod nimius in verborum iteratione, quum posset aut parcius eadem aut alia pro aliis usurpare. Itaque criticas aures offendunt illa toties totiesque inculcata, sidera, caelum, mundus, per templa, per sidera et alia non pauca, quae ter quaterque trinis quaternis continuis versibus infulcit.« Id igitur sive vitium sive iudicium eximi Manilio non debet. Quare hic semel profiteamur, nos Bentleii hanc quidem rationem nusquam audituros solam. In qua tamen ille ita haerebat, ut

quum eam nequaquam apud Manil. valere dudum videret, omnia tamen alia argutiarum subterfugia velut invitus quaereret, quibus exosam istam scabiem scindendo urendo, poëtae eximeret. Quam observationem qui tenuerit, minus interdum mirabitur, si propter inveteratam eam iudicii consuetudinem ad inanes etiam cavillationes virum magnum descendere videat, dum istud verum ac primum, sed aegre reiectum corrigendi initium reticet. *Altum* vero codicis Veneti admodum quidem blandum est, sed in ceterorum Mss. silentio non assumendum; praesertim quum interpolationis notam vix ille liber effugiat; qui hoc ipso libro primo vs. 88 *iter in* interpolet, ubi reliqui *itiner*; idem vs. 744 difficiliorem lectionem *reserantia* in *referentia* defingat. Ceterum, quod codices omnes post *vacat* punctum ponunt, nihil Bentleii rationes adiuvat. Nam librarii saepissime post caesuram masculam solent punctum scribere, etiam ubi absurdum est. Ex codd. Man. quaedam exempla afferam. I, 3. *Caelestis rationis opus. deducere mundo.* L. V. 1. 6. *Hospita sacra ferens. nulli.* 37. *Sentirentque deum gentes. quam.* 56. *in quas fortunae leges. quaeque.* 60. *Fatorum ordinibus. sua.* 70. *Sideribus. variosque dies. incertaque.*

vs. 15. *adversos stellarum.*) Stellarum quinque, item Solis et Lunae ab occasu ad ortum cursus est. Eum sero didicerunt Graeci. Seneca Naturalium libro septimo scribit, Democriti tempore Graecis nondum comprehensum fuisse Planetarum cursum, et ab Eudoxo primum in Graeciam delatum. Poetae Graeci deinde ἀντιθέοντας ἀλήτας, obluctantes errones dixerunt SCAL.

vs. 18. *Quaeque regat*) Inepte. Non enim quae animalia regit Zodiacus, vult scire. regit enim omnia, sed qua regit. Scribe igitur *Quaque regat.* Quid est absurdius vulgari lectione? SCAL. *Quaque* a Scaligero est, et recte. Libri enim omnes *quaeque.* Sed inepte et perverso ordine veniunt, *regat generetque*; quasi prius *regeret* animalia, deinde *generaret.* Corrigo,

Quaque regat TERRENA *suis animalia signis,*

ut Noster II, 83.

Ducit ab aethereis terrena animalia *signis.*

Si miraris et obstupescis, *terrena* potuisse demutari in *generetque*; perge modo in his libris legendis et foedioribus mendis implicatum mirari desines. BENTL. Jo. Schraderus: *Quaque regat* generata *suis animalia signis.* *Quae* iam a Barthio defendi video, Adv. p. 17. »Quae optime; non enim liquet, quae quibus signis generet regatque, etsi sciamus omnia eum procreare et ducere«. Ita est; *quae*, licet hysteron proteron obstet, tamen proxime refertur ad, *generet*, et est *qualia.* totaque doctrina in eo est, ut, quales quodque signum naturas proferat, doceat, non, quomodo. Alteram autem Bentleii coniecturam ob perversum ordinem immissam non multis huius figurae exemplis refellam; unum ex Germanici Arateis adscribam simillimum, vs. 4.

Probat ipse deûm rectorque satorque.

Manilius autem adeo non vitat, ut in arte etiam sua ipsa non fugiat. Nam quum colurum solstitialem describit, vs. 615 ait, *Alter in hunc medium summumque incumbit in axem*, Perque pedes primos cervicem *transit et ursae.* quum tamen ille circulus a cervicibus ursae ad pedes veniat. — *tegat*, quod Fayus habet, unde sit nescio. Falsum esse scio.

vs. 20. *Positis.*) V. 2. lectio: *poscis lucē* corrigendi ardorem elicere possit, praesertim quum *positis flammis* offendamur. Nam quem Schraderus in schedis adscripsit locum Ovid. Fast. IV, 727. *Certe ego transilui* positas *ter in ordine* flammas, nihil nos iuvat, quum in lustratione ordine dispositae flammae aliter dicantur. Itaque idem Schraderus fortasse legendum putat: *pastis*,

vel: *impositis — donis*. Sed nihil mutandum est. Quum enim *bina altaria posita* fugeret, hypallage usus est.

vs. 22. Vetusti omnes *cum lege*; pauci ex novitiis *tum:* quod Scaligerum admisisse doleo. Quorsum enim *tum*, alio scilicet tempore, cum *iam* canit, et mundus *iam* circumstrepit? lege igitur, *certa* CVM *lege canentem*.
ubi *cum* praepositio est, non coniunctio. *Lege*; hoc est, metro, lege carminis. Sic Horat. IV, 2, 10.

Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit, numerisque fertur
Lege *solutis*.

atque hoc prius dixerat, *duplici circumdatus aestu*
Carminis *et* rerum;

rerum ut Astronomus; *carminis* ut Poeta. Sic III, 35, ipse de re eadem iure gloriatur;

Quae nosse nimis, quid? dicere quantum est?
Ordine quid proprio? pedibus quid iungere certis?

BENTL. *Cum* non sane reiiciendum. Sed utrum praepositionem dicam, an coniunctionem, haereo. Praepositio enim abundat, coniunctio, quando per *siquidem* exponi potest, apud Manilium indicativum habet. I, 140. *cum per se cuncta creantur.* 744. *Cum vaga dispersi fluitarunt fragmina currus.* 846. *Cum vaga per liquidum scintillant lumina mundum.* 855. *Cum silva sibi collisa crematur.* III, 281. *cum cetera signa Octonis crescunt stadiis.* Quos fere omnes locos Bentleius non recte tentavit. Omnino Manilius in particulis suus est.

vs. 24. Interpretantur [Scal.] *soluta* ἔναρθρα, *articulata verba*. Tu intellige *prosaica*. Vix oratione prosa tradi possunt Astronomica; quanto difficilius versibus. Horatius iam citatus, *Lege* solutis. Ovid. Trist. IV, 10, 24.

Scribere conabor verba soluta *modis*.

Stat. Silv. II, 7, 21.

Dum qui vos geminas tulit per artes,
Et vinctae pede vocis et solutae.

Suis figuris; id est, suis circulis et diagrammatis; sine quibus astronomica tradi et doceri nequeunt. BENTL. *Immittit* ἰδιολογικῶς dixit. Nam neminem novi, qui suis rebus vel in se aliquid immittere se dicat; dicunt, *ad se admittere*. Igitur Schraderus in schedis *admittit* corrigit. vide, quae de his verbis disputavi ad Lucil. Aetn. vs. 85. Est autem hic: natura non patitur, ut verba immittantur, quasi hostili incursione ignotas eas regiones occupatura. Praeterea laxiorem orationem, uti supra vs. 5, rursus per *et — que* inductam vides: Cum mundus canentem *et* circumstrepit, *et* vix immittit. Hinc est, puto, quod Schraderus corrigit: *inemenso*. *Strepere* de Oceano rarum. Similiter Claudian. Rufin. II, 303. *tellus Dividat et mediis Nereus* interstrepat *undis*.

vs. 25. *Quem primum infernis.*) *Infernis* Scaligero placuit; *Quis*, inquit, *ab his locis infernis ad illa superna penetrasset?* Ego contra aio, Quis unquam dixit *infernas terras?* infernae sedes, valles etc. semper de inferis accipiuntur. Codices omnes *interius*, non *infernis*; recte: nam in alio verbo mendum delitescit. Lego,

Quem primum INTERIUS *licuit cognoscere* CAELVM?

Quis ait, primus valuit *interiora caeli* cognoscere? ut Noster I, 19.

Scire iuvat magni penitus praecordia mundi.

et III, 61. *Quae quasi per mediam* mundi praecordia *partem*.

Quem primum licuit? quod usitatius diceretur, *cui primo licuit*? sed ita Plaut. Pseudol. I, 1, 14. *Licet* me *id scire quid sit*? et Lucan. I, 15. *liceat sperare* timentes. BENTL. Quaerit in schedis Burm. »Quam elegans hoc: cognoscere *caelum* munere *caelestum*?« Ego addo: Qui factum dicas, ut librarii *terris* uti maluerint, quam *caelum* tueri? Sed ad vs. 26. videbimus.

vs. 26. *Munera.*) Gemblacensis pro varia lectione, *munere*, eaque lectio certissima est. Nulli licuit interius caelum cognoscere, nisi favore superum sive munere caelestum: ut Noster I, 11.

Jamque favet mundus propius scrutantibus ipsum:

Sequentia haec plane postulant. BENTL. Itaque sic hunc locum scripsit;

Quem primum interius licuit cognoscere caelum,
Munere caelestum?

Sed id quidem fieri non posse, certum est. Nam si deorum muneri nos eam cognitionem debere pro certo poneret, et tamen, qui primus eam percepisset, quaereret, edendum profecto nomen eius erat, quocum id munus dii communicassent. Nunc vero in responsione est vs. 30: *Tu princeps auctorque sacri, Cyllenie, tanti.* Unde sequitur, si Gemblacensis *munere* uti velimus, sine interrogatione scribendum esse:

Quem primum interius licuit cognoscere terris
Munere caelestum.

Quem i. e. mundum (quod etiam glossa Lips. superscripsit) munere caelestum interius cognoscere licuit terris i. e. mortalibus, vel in his terris. Verum post tam fervidam maximi difficillimique operis descriptionem quis exspectaverit eum tam leniter, vel potius tam lente ad divinae artis auctorem divinum transiturum? Deinde vero, quum Codd. omnes *munera* servent, neque in Susii libro i. e. Gembl., qui a N. Heinsii manu excerptus penes me est, ulla eius varietatis mentio fiat, multo profecto et tutius erat et aptius, *munera* tueri et hac uti interpunctione:

Quem primum interius licuit cognoscere terris?
Munera caelestum. Quis enim condentibus illis
Clepisset furto mundum?

Quo infra optime redit: *Tu princeps auctorque sacri* etc. Aperta Homeri imitatio est:

Τίς τ' ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;
Λητοῦς καὶ Διὸς υἱός. ὁ γὰρ βασιλῆϊ χολωθεὶς etc.

Neque minus eiusdem Homeri meminisse videtur Lucanus I, 68.

(Dicam,) *quid in arma furentem*
Impulerit populum, quid pacem excusserit orbi.
Invida fatorum series, etc.

Sic *mundus* ex prioribus versibus supplendus erit, *terrae* opponentur *caelo*. Ea oratio etiam ad antecedentia commode referetur. Postquam enim, quam difficile munus susceptum esset, quamque aegre doceretur exposuit; admodum vincta videbitur quaestio: Quis igitur homo penetrare in caelum primus potuit? Dii auctores ipsi. Fatendum tamen, structuram sic etiam nescio quid duri habituram: Quem terris i. e. quem in his terris primum licuit cognoscere (mundum)? *terris* facile careamus, *mundum* desideramus. Itaque fortasse legendum:

Quem primum interius licuit cognoscere gyros?

gyri ad figuras vs. proximo apte adduntur, neque semel in eo verbo librarii Manil. peccarunt.

vs. 26. *Condentibus.*) Accepit a Sophocle:

ἀλλ' οὐ γὰρ τὰ θεῖα κρυπτόντων θεῶν
μάθοις ἄν, οὐδ' εἰ πάντ' ἐπεξέλθοις σκοπῶν.

In prima institutione:

Quis neget esse nefas invitum prendere mundum.

SCAL. Quo sensu est illud *condentibus*? Alius accepit *creantibus* [Fayus], alius *abscondentibus*. Illud ineptissimum, et hoc ineptum. Non enim *abscondunt* superi. Sic IV, 922:

Ipse vocat nostros animos ad sidera mundus;
Nec patitur, quia non condit, *sua iura latere.*

Repone, *quis enim* NOLENTIBVS *illis?*

ut mox, *invitis diis*. Probat *deorum munere* astrologiam inventam esse; quis enim *nolentibus illis*, arcana fatorum scire potuisset. BENTL. Induxisset profecto, si ipse editioni ultimam manum admovisset, hanc coniecturam Bentleius, quae festinanti exciderat. *Illis nolentibus*, si illi nollent; *illis condentibus*, si illi abscondissent; utrumque non faciunt. *Condere* praeterea ad versum insequentem nos melius dirigit: *Clepsisset furto.* Ipse harum artium conditor Mercurius *iocoso condere furto callidus* apud Horat. dicitur Carm. I, 10. 8. Etiam Dorv. Charit. p. 509. et Pingré contra Bentl. disputaverunt.

vs. 27. *Clepsisset furto.*) *Clepere*, verbum suo tempore probum: sed, cum auctor scriberet, nimis antiquum et cascum. Dedit ille,

CEPISSET *furto mundum*, *quo cuncta reguntur*

Capere furto ut *capere arte*, *dolo*, *fraude*, *astu*, *insidiis* etc. Sic noster IV, 886.

Et capto *potimur mundo*

et II, 127. *Quis neget esse nefas invitum* prendere *mundum;*
Et, *velut in semet*, captum *deducere in orbem.*

BENTL. Jam Dorv. Charit. p. 509. [507.] intellexit Promethei furti memorem Manilium ita locutum; de eo autem Attius in Philocteta, nobilitatis versibus apud Cic. Tusc. II, 10:

cum dictus Prometheus
Clepsisse dolo, *poenasque Jovi*
Fato expendisse supremo,

unde nostra oratio colorem traxit. Deinde vero non nostrum est iudicare, quae verba Manilio debuerint casca videri, quae non. Atque consulto etiam didactici poetae et formis et verbis obsoletis austeritatem quandam videntur quaesisse. sic *itiner* I, 88. *breviare* III, 434. *subrupto tempore* III, 352. *mensibus eruptis* ibid. 355. *Jovi indutus* II, 491. ablat. *parti*. II, 726; III, 395. *Sponsoremque reus timuit*, *ne* i. e. Sponsori timuit, II, 588. *in conspectu redire* I, 455. *somnosque in membra locamus.* Denique cur reformidet eo verbo uti, quo ipse Cic. in oratione prosa uti non timuit, nec Seneca tragicus?

vs. 29. *Invitis ut dis cuperet deus ipse videri?*
32, *Sublimes aperire vias, imumque sub orbem,*
33. *Et per inane suis parentia finibus astra,*
34. *Mominaque et cursus signorum, pondera, vires?*
30. *Tu princeps auctorque sacri, Cyllenie, tanti:*

31. *Per te iam caelum interius, iam sidera nota.*
35. *Maior uti facies mundi foret.*

Primus Scaliger hunc versuum ordinem in editione sua dedit. Libri universi eum servant, quem in textu nunc exhibemus. *Momina* quoque a Scaligero est: libri omnes *nomina.* Equidem indignor tam capitale ingenium a spuriis et inficetis versibus ludificari. Novem isti, qui versum 30 sequuntur, omnes suppositi sunt. *Caelum interius* v. 31. iam habuimus. v. 28. *Sublimes aperire vias* etc. nullo sensu. *Pondera*, *vires*, semibarbare, pro et pondera atque vires. *maior mundi facies:* qui fieri potest *maior*? *veneranda*; non solet auctor hexametrum sic claudere. *Species* idem prorsus, quod paulo ante *facies*. *Deum quam maximus esset*; ne latine quidem dictum. Postremi duo versus a libris omnibus absunt; credo eos a Bonincontrio, qui primus Manilium cum commentario edidit, fuisse confictos. Jam vero vides, ut apte versus genuini connectantur:

Tu princeps auctorque sacri, Cyllenie, tanti:
Et natura dedit vires. BENTL.

De postremis duobus versibus concedo; neque in carminibus reliquissem, nisi quod versuum numerum turbare nolebam. A quo autem conficti sint, quum editiones antiquas inspicere non licuerit, ignoro. In Bonincontrii quidem ed. a. 1474. inesse negat Barth. Adv. p. 16. Verum ceteros versus videamus an tueri possimus a Bentleii invidia. *Caelum interius* Bentleius supra habebat, non Manilius, si haberet, non magnopere commoverer. cf. ad vs. 12. Quid, quod his novem versibus exemtis, tamen *caelo* e vs. 42. prope a Bentleii *caelum, caelestum munera* accedit? Quid, quod ipse Bentleius correxit I, 841: parvasque *capellas*

Mentitur, parvos *ignis glomeratus in orbes*.

Deinde si vs. 32. *Sublimes aperire vias* nullo sensu addi vult, idem hoc ei in Manilio accidisse fatendum est, quod in Horat. Epp. I, 7, 56.

Praeconem tenui censu, sine crimine, notum
Et properare *loco et cessare, et quaerere et uti.*

Ut enim illic non viderat, Vulteium dici *notum properare*, (quod docte monstravit Heinrich in Wolf Litt. Anal. I, p. 510 sqq.) ita nostro loco iterum iungere debebat: *per te sidera nota sunt vias aperire. aperire* est *patefacere* i. e. viam dare vel alicui, ut Val. Flac. VII, 548, *flammas aperire*, i. e. clausis viam dare; vel in aliquem, ut, *Pontum aperire* apud Cic. Manil. viam dare in Pontum. Sic Lucret. I, 374. *latices liquidas aperire vias* ait; sic *mare apertum* et *clausum*; *patefactum pelagus* Stat. Achil. I, 61. Late patet huius verbi usus apud Valer. Flac.; sidera autem viam ipsa aperiunt, quia dii. *Viae sublimes* sunt, quibus eunt stellae per *sublime candens, quem invocant omnes Jovem.* Jam quod vs. 34. coniunctiones semibarbare omissas esse conqueritur, id quidem multis poetarum exemplis elevare crimen poterimus. In enunciatis integris teste Catone utamur. Dir. 31:

Militis impia quum succidet dextera ferro,
Formosaeque cadent umbrae, formosior *illis*
Ipsa cades, veteris domini felicia ligna.

Ibid. 73.

Emanent subito sicca tellure paludes,
Et *metat hic iuncos, spicas ubi legimus olim*,
Occupet *arguti grylli cava garrula rana.*

Ubi tamen *occupet* ex interpolatis edd. venit. Codd. *Coculet*, *cogulet*, *Cochulas ubi.* Fortasse:

Coaxet, *ubi arguti grylli cava, garrula rana.*

Auctor philom. Burm. Anthol. II, p. 433:

Garrula limosis rana, coaxat *aquis.*

Sic initio versus Lucret. VI, 491: Cooperiant *Maria ac terras.* Nisi mavis cum Festo scribere *quaxat.* Poteris etiam: *Conquinet.* Ibid. 76.

Praecipitent altis fumantes montibus imbres
Et *late tenednt diffuso gurgite campos*,
Piscetur *nostris in finibus advena arator.*

Ita legendus hic locus. Nam qui interpositi sunt ante vs. 78. duo, nequaquam huc pertinent, ubi poeta imbres in praedia diris immittit. in illis autem dominos inducit mirantes, unde in agros undae relapsae sint. Quis autem unde imbres veniant ignoret? quis eos *relabi* dixerit? Sunt igitur suo loco reddendi, ubi de fluminibus reversuris agitur, post vs. 70:

Incurrant amnes passim rimantibus undis,
Nec nostros servire sinant erronibus agros;
Quo domini infesti mirantes stagna relinquant,
Unde relapsa meos agros pervenerit unda.

Ibid. 98. *Dulcia amara prius fient*, et *mollia dura*,
Candida nigra oculi cernent, et *dextera laeva*,
Migrabunt *casus aliena in corpora rerum.*

Ubi *casus* recte N. Heinsius damnabat. Legam:

Migrabunt naturae *aliena in corpora rerum.*

Naturae rerum in aliena corpora migrabunt. i. e. res, ut ipsa natura procreat. Lucret. I, 711: (Putant terram creare) *Omnia et in* rerum naturas *vortier omnes.* *Migrare* proprie, ubi naturale domicilium relinquitur, ut apud Horat. *migravit ab aure voluptas*, et Lucret. II, 774. *Nunquam in marmoreum possunt* migrare *colorem Caerula.* Compendia verborum $\overline{na}$, $\overline{cs}$ et $\overline{ca}$ quam saepe confundantur, non est quod moneam. Ceterum ipse iam perspexisti, familiare esse Catoni, copulam omittere in membro tertio. Ita etiam Ovid. Met. I, 45:

Utque duae dextra caelum, *totidemque sinistra*
Parte secant Zonae, quinta est ardentior *illis.*

I, 141. *Jamque nocens ferrum*, *ferroque nocentius aurum*
Prodierat: prodit *bellum*, *quod pugnat utroque.*

Lucret. III, 155. *Sudoresque ita palloremque existere toto*
Corpore, et *infringi linguam vocemque aboriri*,
Calligare *oculos*, sonere *aures*, succidere *artus.*

Inter singula verba asyndeto interiecta *que.* Lucret. I, 56:

Servitium contra, *paupertas*, *divitiaeque*,
Libertas, *bellum* etc.

Mistum asyndeton et polysyndeton. Lucret. II, 1063:

Terrai, *maris*, et *caeli generisque animantum.*

Polysyndeton et asyndeton ibid. 1085:

Terramque et *solem*, lunam, mare, *cetera quae sunt.*

Ibid. III, 1087: *Sed metus in vita poenarum pro malefactis*
Est insignibus insignis; *scelerisque luela*

Carcer et *horribilis de saxo iactus eorum*;
Verbera, carnufices, robur, pix, lamina, taedae.

Jam defensorum versuum sententiam aperire licebit. Per te notum est, sidera liberam viam habere et in sublime et sub imum orbem, i. e. circuire terram, eademque modo nobis lucere, modo alteri orbi, qui sub pedibus nostris est. *Et* omnino nota sunt *astra* per aerem inanem *suis parentia finibus* (i. e. non vagari, sed legitimo ferri cursu;) nota denique nomina, cursus, pondera, vires. Porro vs. 35. *maior facies*; quidni forma praestantior videatur, quia melius intellecta? Neque argumentis hic opus est. Sed »non solet hexametrum auctor sic claudere, *et veneranda*«. III, 125. *quam diuturni*. 130. *et specioso*. 434. *sic breviantur*. V, 257. *purpureos hyacinthos*. Vides autem (praeter locum ultimum, in quo Virg. exempla sequitur, id verbum semper in fine versuum collocantis, Ecl. III, 63. *rubens hyacinthus*, VI, 56. *fultus hyacintho*. Georg. IV, 183. *ferrugineos hyacinthos*. Aen. VI, 69. *languentis hyacinthi*.) in omnibus igitur his locis unius syllabae verbum praecedere ultimo vides. Neque id temere factum. Nam quum in prima hexametri parte orationis quaedam inter accentum versus et verborum fluctuatio quaeratur, quae versus vigorem adiuvet, in fine tamen versus, consopita hac discrepantia, concinere uterque accentus omnino debet. (Aliam esse regulam, si unius syllabae verbum hexametrum claudat, notissimum est.) Sed, quando quatuor syllabarum verbo dactylicus versus finitur, non aliter id potest fieri, nisi vel monosyllabicum praecedat, vel properispomeni paroxytonive elisio. Priorem Manilius, Lucretius utramque viam iniit. Libri primi exempla haec sunt. *Monos*. I, 46, 69, 183, 267, 912, 940, 960, 1032. *Elisio*. *genus omne animantum* 4, 16, 75, 98, 113, 195, 351, 458, 808, 821, 828, 1037. Bis hoc libro a regula abiit; 190. *rerúm novitates*. 548. *rebús reparandis*. Reliquorum librorum exceptiones fere hae sunt. — — II, 640. *matrém comitantur* ◡ — — — semel II, 480 *figurarúm ratione*. ◡ — quater, plerumque in particulis. IV, 449 *utí videantur* 379. *adhúc potuíssent*. V, 1052. *enim paterentur*. VI, 903 *parí ratione*. ◡ ◡ — ter. II, 76 *aliáe* minuuntur. IV, 647. *capiúnt animantes* VI, 41 *speciés ratioque* — ◡ ◡ — bis V, 556, VI, 292 *ad diluviém revocare*. Sex syllabarum verbo semel, ni fallor, usus est II, 932. *sensús mutabilitate*. vs. 36. *Species* non sane »prorsus idem est, quod paulo ante *facies*?« Nam haec ad *formam* refertur, quae oculis placet, illa Lucretiano more opponitur *rationi*; ut I, 67. *Vita In speciem conversa operum ratione carebat*. ut autem *ratio* internam rerum naturam perscrutatur et iudicat, ita *species* in oculos incurrit et sensus permovet superstitione. De vs. 35 et 36 tractavit iam Dorv. Charit. p. 398 [327]. In versu 37. verum est, Latine non dici: *Deum quam maximus esset*; sed correctio in proclivi:

Sentirentque deûm gentes qui *maximus esset*.

Intelligit autem *mundum*, *quo cuncta reguntur*; cum hac doctrina saepe deorum vulgarium fidem, quasi inferiorum daemonum, coniungit. Quia autem compendium Vossiani 2 *q'* traiecta lineola et *quam* et *qui* legi potest, eam correctionem in carmina ipsa recipere, ausus sum. Gron. Obss. p. 461 coniicit *qua maximus esset*, »id est, ubi, vel qua parte esset maximus, ubi maxime maiestatem suam exserit, nempe in caelo.« Id sequitur Pingré, qui idem Scaligeri ordinem a cod. Palat. firmatum probat, ac legit: *et pandere vires*. Utrumque Barthius suadebat Advers. p. 18.

A.

Schulnachrichten.

I. Uebersicht

des öffentlichen Unterrichts in dem Schuljahre vom 8ten Oktober 1829 bis zum letzten September 1830.

I. Klasse, polnischer Abtheilung.

32 Stunden wöchentlich.

Ordinarius: Lehrer Cichowicz.

a) Kathol. Rel. Unterr., s. Kl. II.

b) Latein. 9 St. w. Lehrer Poplinski. In 3 St. wurde aus Gedike's Lesebuche p. 1—45 in's Poln.; in 2 St. aus Trojanski's Aufgaben p. 1—37 ins Lat. übers., u. die Vokabeln dazu gelernt; in 3 St. der etym. Th. der Gramm. (von Trojanski) ausführl. durchgenommen u. die Hauptregeln der Syntax eingeübt; in 1 St. die wöch. Scripta, monatl. eine Probearbeit zurückgegeben.

c) Polnisch. 2 St. w. bis Ostern Prof. v. Królikowski; darauf Lehrer Cichowicz. In 1 St. w. Lese- u. Sprechübungen, in 1 St. Grammatik und schriftl. Ausarbeitungen.

d) Deutsch. 7 St. w. Lehrer Cichowicz. 2 St. Gramm. nach Heyse und Hahn; Etym. bis zum Adj. 2 St. Uebers. aus dem Deutschen: Poplinski's Auswahl Th. I. p. 57—76. Das Uebersetzte wurde auswendig gelernt. 1 St. Exercitien, 1 St. Extemp., 1 St. Lesen.

e) Französisch. 2 St. w. Ders. 1 St. Gram. Deklin. u Conjug. 1 St. Lesen; Wyp. Szumsk. Leichte Stücke wurden in's Poln. übersetzt.

f) Arithmetik. 3 St. w. Lehrer Braun. Von mathem. Sätzen überh.; Begriff der Mathem., Arithm. überh., gemeine Arithm., Numeration

A.

Wiadomości o szkole.

I. Wykaz

nauk publicznie dawanych w roku szkólnym od 8. Października 1829 aż do końca Września 1830.

Klassa Iwsza oddziału polskiego.

Godzin na tydzień 32.

Ordynaryusz: Naucz. Cichowicz.

a) Religia katol., zobacz pod kl. II.

b) Język łaciński. Godz. na tydz 9. Naucz. Popliński. W 3 godz. wytłum. z Gedike od str. 1—49 na język polski; w 2 godz. z Trojańskiego Zadań od 1—37 na język łaciński; uczyli się do tego wyrazów; w 3 g. przeszedł obszernie część etymol. i nayglównieysze prawidła składni podług Gram. Trojańskiego; w 1 godz. tygodniowe Exerc. i co miesiąc iedno nadzwyczayne ćwiczenie poprawione oddawano.

c) Język polski w 2 g. na t. do Wiel. nocy uczył Prof. Królikowski, odtąd N. Cichowicz. W 1dnéy g. ćwiczenie w czytaniu i mówieniu w 2giéy Gramat. i ćwiczenia piśmienne.

d) Język niem. w 7 g. na t. N. Cichowicz wydał podług Gram. Heyze i Hahna w 2 g. część etymol. aż do przymiotn., w 2. godz. tłumaczył z Wyboru Poplińskiego, części I. §. 57—76. i razem uczono się tegoż na pamięć. 1 godz. exerc. 1 g. extemp. 1 g. czytanie.

e) Język franc. w 2 g. na tyd. Tenże uczył w 1 g. deklinacyi i konjug. w 2giéy czytał i tłum. na polskie łatwieysze powieści z Wyp. Szumsk.

f) Rachunki 3 godz. na tydz. Naucz Braun. O prawdach matem. w ogólności; wyobrażenie matem. arytm. w ogólności; arytm. pospolitéy;